



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita R. P. Iosephi Anchietae Societatis Iesv Sacerdotis In  
Brasilia defuncti**

**Berettari, Sebastiano**

**Coloniae Agrippinae, 1617**

Epistola Ad Franciscum Escalantium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42044**

scum Escalantium scripsit; quem in ipso Ianuariensi sinu ex Hispanica classe ab ipso admissum in Societatem scripsimus.

---

EPISTOLA AD FRANCISCUM ESCALANTIUM.

I E S V S.

**C**HARRISIME in Christo frater pax Christi. Quoniam nostra nauis, qua ad te literas dare constitueram, non ita breui iter factura erat, statui nihilominus has ad te literas fortunę committere bonam illis, nobisque, & verē bonam à Deo fortunam comprecatus; quæ est in Dei gratia, & amore semper viuere, & in eo ad finē vsq; vitæ perseverare. Huius rei causā Deus te ab humanis rebus auellens religioniq; inseuit; teque in ea tot annos aluit, conseruauitque. Cui diligenter, ne vel modicum quidem diffidentię cor tuum subeat: nam etsi in te, & tuisque rebus nihil

nisi

nisi miseras, culpas, & magnam aduersus hostium impugnationes imbecillitatem inuenias ; à Deo tamen firmum tibi est auxilium , & omnia diuinæ gratiæ bona , quibus fultus præsidijs , certamina superate ac de hostib<sup>9</sup> triūphare tibi dabitur. Scio quidem te isto genere vitæ esse contentum , deque eo per sæpe Deo grates agere: tamen intelligo, fiduciam tibi, vti dixi, opus esse , tum in Deo , tum in Præsidum tuorum charitate defixā, quos Dei loco habeas necesse est : ijs enim studio illud est in primis, vt esse debet, perfectam vt virtutem assequaris , atq; ad eā rem omnia tibi adiumenta comparare. Caue, ne ad hunc ex animo tibi sensum euellendum, vlla ne tenuis quidem suspicio subrepat. Quicquid alij seu sentiant, seu suggerant , illud tibi persuade, te in isto esse Collegio tantum vti tuam salutem à Deo consequare. Da operam , vt ipse saluus fias , & hoc contentus esto, ita tamē vt, cum intra animum tuum fratres omnes

Q 6 inter-

interno amore; ac reuerentia prosequaris, eosque virorum sanctorum numero habendos esse sentias, tua tamen consuetudo, & colloquia cum ijs præcipuè sint, quorum tibi v. tum, moresque ad fructum pietatis prodesse sentias. Beatam in primis Virginem Reginam nostram, perpetuam tota vita adiutricem fac habeas, ei que de me interdum preces offer. E sede Spiritus sancti, in qua frequens tui memor sum. 14. Kal. Ianuarias 1587.

*Tuus in Christo Frater.*

IOSEPHVS ANCHIETA.

PAREM planè pietatem, diuinique Spiritus virtutem duæ aliæ ad eundem epistolæ continent; que, quia prodesse possunt, statui eas non omittere: tum ob eum, qui percipi ex ijs fructus potest, tum vt ijs satisfaciam, qui aduersus hunc virum aliquam reuerentiam conceperunt; vt his legendis, ipsum sibi præsentem, & loquentem audire videantur.

IDEM